

Copia Literarum à Summo Pontifice Pau-
lo V. ad Regem Poloniae, A. 1609:

Paulus Papa V. Charissime in Christo Fili no-
ster, salutem et Apostolicam benedictionem. Audi-
mus Majestatem tuam iam comparasse se ad expe-
ditionem Moschoviticam, ita ut fortasse nostrae hae
literae tibi proficiscenti reddentur. Divigat Domi-
nus gressus tuos in beneplacito suo. Nos charissi-
me fili cum omni charitatis affectu monemus te
ut diligenter valetudinem tuam cures, ac jugiter revo-
qutes, quantum referat non solum ad quietem et
tranquillitatem regnorum tuorum, verum etiam ad
totius Christianae Reipublicae utilitatem, ut te nobis
diu conserves. Plane confidimus in divina bonita-
te, fore, ut cuncta ex voto succedant, tuque incolu-
mis ac laetus cito te domum recipias, idque assi-
duis orationibus nostris à Deo postulamus. Verum si-
ne magna sollicitudine toto hoc tempore esse non pos-
sumus. Quod Illustrati tuae significare voluimus,
ut tanto magis nostra causa saluti tuae, in qua
bonum repositum est subjectorum tibi populorum, ac
nostram solatium prospicias. Interim ut feliciter pro-
grediaris, mittimus Illustrati tuae nostram Apo-
stolicam benedictionem, et Deum misericordiarum Pa-
trem oramus, ut clementer aspiciat, tribuatque tibi
Sanctorum Angelorum presidium, qui te in omni-
bus vijs tuis custodiant, et Victorem triumphan-
temque ad Divini Numinis gloriam, Catholicae
religionis propagationem et tuorum Regnorum feli-
citatem quam primum reducat.

Copia. Librorum a. 1000. 1000. 1000.

Deus. Pater. V. Christus. in. Spiritu. Sancto. etc.